

xit se *Anton. Faber* in Codice Sabaudico, egregièque nostris hominibus præluxit facem, quomodo solidè simul breviterque disputari possit. Laudabilis quoque & ad veterum Jurisconsultorum dicendi rationem compositus mos est, quo Facultates Scabinatusque Saxonici, Lipsiæ imprimis, in suis Consiliis Germanicis, (vocant *Informate Urtheil* /) rationes utrinque summâ brevitate & nervositate ventilant.

§. 83. Huc pertinent & Tractatus variorum de variis materiis. Iisque vel Juris, v.g. de Fideicommissis *M. Ant. Peregrinus*, de Mutuo *Salmasius*, de Pignoribus *Negusantius*, de Pactis *Alexander ab Exea*, de Matrimonio *Th. Sanchez*; vel de Terminis Facti sed ad Jus applicatis, ut de Surdis, Mutis *Michalorius*, de Fœminis *Carpzovius*, de Molendinis *Hering*, &c. Interdum non certum aliquem titulum, sed aliquid à variis materiis tam Juris quàm Facti abstractis tractant. Uti *Corsetus* de Geminacione,

*Joh.*